



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCCCXXXIV. Graf Heinrich in Lüchow überläßt der Stadt Lüchow den
Borchardswald, am 3. October 1313.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

CCCCXXXIV. Graf Heinrich in Luchow überläßt der Stadt Luchow den Borchardswald,
am 3. October 1313.

In nomine Domini Amen. Cum sit oportunum omnem hominem corporale exuere indumentum, igitur quecunque in tempore attingerent humani operis complementum paterentur communiter memorie detrimentum, nisi perennitate scripturarum irrefragabile fulciperent munimentum, et comprobatione veridicorum testium incommutabile caperent documentum. Hinc est quod nos Hinricus, dei gratia Comes in Luchowe, ad notitiam uniuersorum presentium et futurorum volumus peruenire, quorum audientia hanc paginam aufcultauerit, seu oculus inspexerit, quod ciuibus in Luchowe non communibus, sed hiis, qui suam pecuniam expendebant, vendidimus nemus situm ante ciuitatem Luchowe, quod vulgo dictum est nemus Borchardi, pro centum Marcis argenti, cum tota integritate, qua ipsum possedimus, scilicet lignis, arboribus, pascuis arborumque fructibus et locum cum omnibus in eo contentis et in posterum continendis. Etiam si eorum collibuerit voluntati post refectionem arborum et extirpationem radicum ad agros colendos locum dicti nemoris poterint coaptare, et iure hereditario, omni impeditione postposita, (prout) sibi pro dicto argento in perpetuum comparauerant, possidere. Preterea sciendum quod nec Slaui de Jezne siue de Recizze neque de Plothe neque ulli slauicales seu teutunicales a longo vel de prope residentes ullam portionem in lignis vel pascuis seu aliquibus predictorum fructibus sibi poterint usurpare. Item aduertendum, quod predictum nemus prefatis resignauimus ciuibus cum perpetua libertate ac proprietate taliter possidendum, quod a nullo heredum aut successorum nostrorum collationem recipiant in futuro. Preterea recognoscimus lucide protestantes, quod prelibati ciues, ne in posterum inter ipsos et communitatem ciuitatis Luchowe aliqua resultaret dissensio, sagaciter, ut debuerunt, fecerunt: duabus vicibus communitatem conuocari fecerant, quibus coram ipsis conuenientibus semel in quodam die dominico in cimiterio, secundario in proxima quarta feria subsequenti in teatro, quod vulgo dicitur Cophus, predictam emptionem communibus ciuibus, si vellent emere, sane et beneuole exhibebant, qui propter bonorum penuriam ipsum emere recusabant, et eam sepeditis ciuibus benigno animo mittebant. Ad pleniorum huius rei euidentiam, ne ab aliquo successorum nostrorum vel heredum seu quocunque alio patiatur calumpniam, et inuiolabilis perseueret, hanc paginam conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari, et insuper sigillorum honorabilium virorum Tiderici de Hitzacker, Iwani et Thethardi de Wuztrowe Germanorum, Ottonis de Dannenberghe, militum, Vlrici Zabelli, amborum fratrum dictorum Wulf, Werner et Wolteri Germanorum de Arneborch famulorum, et sigilli ciuitatis Luchowe iussimus pariter robore innodari. Testes, qui presentes fuerant, sunt Dominus Hugo Prepositus in Saege, Dominus Geuehardus plebanus in Zatemin, Dominus Hessiko sacerdos, Jordanus miles dictus de Jericsem, Senior Hermannus Zabelli cum suis filiis, Gheuehardus et Fridericus Germani de Dannenberge, Rabodo et Henricus fratres dicti de Plothe, Borchardus Zwipete, longus Rempo et frater ejus Wulf, Bartholdus et Johannes et Geuehardus Germani dicti Strewel, Conradus et Otto fratres dicti

Klitzing famuli, et quam plures alii fide digni. Actum et datum Luchowē, anno domini M°. CCC°. XIII°. quinto Nonas Octobris, hoc est in die duorum Ewaldorum.

Gercken's Verm. Abb. III, 266. Die Urkunde soll auch in Telgmans Tract. Von der Ahnenzahl S. 39 mit vielen Fehlern abgedruckt sein.

CCCCXXXV. Markgraf Woldemar von Brandenburg bestimmt die Grenzen des an den Deutschen Orden verkauften Theiles von Pommern, am 8. Februar 1313.

Nos Woldemarus, dei gracia Brandenburgensis, Lusacie et de Landeberg Marchio Tutorque Incliti Principis Johannis, Marchionis Brandenburgensis, recognoscimus publice per presentes, quod Mete ac gades inter terram nostram Stolpensem ac partem terre Pomeranie, quam Magistro et fratribus de domo Theutonica in Prucia vendidimus, prout litere ipsis super hec tradite fatentur, taliter sunt distincte, per infinita seculorum tempora valiture. Primo de loco, ubi Leba fluvius in salsum mare influit, ascendendo et locum, ubi dictus Leba fluvius fluit, de lacu Lebeczk et ipse Leba nobis ac predictis magistro et fratribus, de ipso lacu Lebeczk usque in salsum mare, stabit communis, sed et ipse lacus Lebeczk communis nobis et ipsis fratribus remanebit, ita quod homines nostri, volentes in lacu Lebeczk predicto agere piscaturas, nobis de jure, quod nobis inde competit, respondebunt, hominesque Magistri et fratrum, piscaturas in hoc lacu agentes, eas (eis?) de jure, quod ipsis exinde competit, respondebunt. Excessus, si qui in ipso fuerint lacu perpetrati, Judicabimus nos et ipsi, et quicquid de excessibus peruenierit, debet inter nos hinc et inde diuidi equa lance. Item de loco ubi dictus Leba fluit in lacum Lebeczk predictum ascensus erit usque ad clausuram Ragy, que nobis et dictorum fratrum usui debet communiter applicari, et de Ragy usque ad villam Malecfiez, que fratribus cum suis pertinenciis remanebit. Abinde usque in villam Onezino, que similiter cum pertinenciis fratribus remanet, et deinde usque ad villam Wozkowe, que est cum omnibus suis attinenciis nostra, et ab hac usque ad uillam Goluzfino, que est fratrum cum suis metis, et ab ista usque inter villas Sucow, que est cum suis metis fratrum, et Studzencz, que cum suis metis est nostra. Ab hoc loco usque ad Aream ville Goliezeuo, que est fratrum, sed nemus fagorum est nostrum, et ab ista Area usque ad lacum Gfino, qui est fratrum. Sed nemus fagorum est nostrum. De hoc lacu usque ad lacum Zomyn, qui est fratrum, et termini ville nostre Wamyzlai Dambrow protenduntur, usque ad spacium unius funis de lacu Zomyn predictae mensurando et de lacu hoc usque ad rivulum Zcossow, qui est noster et ultra trans rivulum hunc usque ad Warnewawoda, et de hoc usque ad locum, qui dicitur Westechy, de hoc usque ad lacum nominatum Camenyzno, cujus litus nostrum est, lacus vero fratrum. De hoc lacu directe usque ad lacum Lanke, pertinentem ad Stythnam, sed litus nostrum, de lacu Lanke usque ad aream ville Peterscow, que nostra est cum omnibus suis metis, de hac area usque ac lacum Studenyeczno, cujus litus adjacet